

1227 31/7

Anagni

Cumania (prov. Hungaria)

*Pope Gregory IX complies with a supplication from Archbishop Robert of Esztergom to absolve him from a vow of going to the Holy Land for instead launching a missionary campaign to the Cumans, whose prince, Borč, has agreed to baptism for himself and his son, due to the pious work of the Friars Preachers within his country. The vow is lifted because 'a larger good should be preferred to a smaller merit.' The archbishop is also appointed papal legate to Cumania.*

Source: Transcript. Vatican Archives, Rome.

Gregorius episcopus etcetera. Venerabili fratri ... Strigoniensi archiepiscopo apostolice sedis legato, salutem etcetera. Gaudemus in Domino magnificam et mirificam salvatoris nostri clementiam laudum preconiis extollentes, quod nichil odiens eorum, que fecit, sed omnes salvos fieri et neminem perire volens, homines jacentes in tenebris ignorantie de gentilitatis errore ad viam veritatis dignatur per suam ineffabilem misericordiam revocare. Nuper siquidem per litteras tuas nobis transmissas accepimus, quod Jesus Christus Deus ac dominus noster super gentem Cumanorum clementer respiciens, eis salvationis ostium aperuit hiis diebus. Aliqui enim nobiles gentis illius per te ad baptismi gratiam pervenerunt, et quidam princeps Bortz nomine de terra illorum cum omnibus sibi subditis per ministerium tuum fidem desiderat suscipere Christianam; propter quod unicum filium suum una cum fratribus predictoribus, messis Dominice operariis in terra predicta, ad te specialiter destinavit, attentius obsecrans, ut personaliter accedens ad ipsum et suos viam vite ostenderes ipsis, per quam ad veri Dei notitiam valeant pervenire. Unde quamvis pro executione voti tui, quod emiseras pro Terre sancte succursu, in peregrinationis esses itinere constitutus, considerans tamen tam magnum animarum fructum et augmentum Christiane fidei exinde pervenire posse, si piis eorum desideriis condescendas, intermisso dicte peregrinationis itinere, dilectum filium ... archidiaconum de Zala ad nos destinare curasti, devote ac humiliter supplicans, ut tibi hoc faciendi non obstante voto predicto licentiam preberemus; et quia magis fructificare poteris, si apostolice sedis legatione fungaris, cum auctoritas semper consueverit multum favoris habere in Cumania et Brodnica terra illa vicina, de cuius gentis conversione speratur, legationis officium tibi committere dignaremur, per quod habeas potestatem in eisdem terris vice nostra predicandi, baptizandi, edificandi ecclesias, ordinandi clericos, nec non et creandi episcopos, et generaliter omnia que ad cultum et ampliationem fidei pertinent, exercendi. Cum igitur majus bonum minori sit merito preferendum, et de tue caritatis ardore geramus fiduciam pleniorum, accedendi ad dictas provincias licentiam tibi concedimus postulatam, devotioni tue super predictis plene legationis officium in eisdem provinciis committentes. Datum Anagnie ·ii· kalendas augusti, anno primo.

Published: *Vetera Monumenta Historica Hungariam* vol. I no. 154.

**ExDOP mainpage**

**Centre for Dominican Studies of Dacia**